

sequuntur. *Videlicet quòd Nos pro nobis et successoribus nostris quos ad hæc servanda imperpetuum obligamus* (1) specialiter et expressè quictamus et remittimus dictis hominibus nostris universis et singulis in dictis locis morantibus, et de cœtero moraturis, et eorum heredibus in perpetuum omnem tailliam, complementa, exactiones, et extorsiones, universas et singulas corvatas, jornalia, et recognitiones quæ solebant levari quando pater et mater donabat seu legabat possessiones in vita seu in morte liberis suis, vel liberi sui, vel matri suæ, vel hinc inde fiebant successiones ab intestato, et recognitiones quas consueverant præstare tenementarii in mutatione domini, et recognitiones quando frater dotabat sororem suam, mortuo patre, vel matre ab intestato, et recognitiones quando maritus recepit pro uxore sua in dotem aliquam possessionem. Item bannum nostrum de Augusto, et de denariis qui debebantur pro pedagio mense Augusti, et per totum annum pro asservatione vini. Dictos verò homines nostros, vel aliquem ex eis Nos et successores nostri non poterimus nec debebimus de cœtero capere, nec res, nec bona eorundem per nos, vel per alium, nec redemptionem, seu aliquid aliud petere, vel extorquere ab eis, *nisi tantummodo pro delicto ; quod delictum intelligimus homicidium sive furtum*, seu aliud delictum pro quo meruerit pœnam corporalem. Pro aliis verò minimis delictis ; videlicet pro verberatura sine sanguine teneantur nobis tantummodo pro emenda in tribus solidis et sex denariis fortium Lugdini, et pro verberatura cum sanguine sine gladio in septem solidos et sex denarios fortium et pro percussione gladii in sexaginta solidos fortium, pro percussione pugni, palmæ, et pedis de quolibet pro se tres solidos et sex denarios fortium tenebitur Nobis vel mandato nostro injurians solvere pro emenda pro falsis mensuris et adulteriis pro quolibet in sexaginta solidos fortium tenebitur nobis delinquens tantummodo in emenda ; possessiones verò suas poterunt quandocumque voluerint tradere et concedere cuilibet ad superservitia nobis etiam inconsultis ad usagium Villæ Franchæ et sciendum quòd terras, domos, vineas, nemora, prata et alias possessiones ad dominium nostrum spectantes sitas in prædictis locis, et infra terminos prædictos, quando vœnales fuerint expositæ Nos et successores nostri ad manum nostram non poterimus, nec debebimus per nos vel per alium emere, nec retinere, vel facere retinere, sed licet cuilibet tenementario eas vendere cuicumque voluerit. Ita tamen quòd coram

---

(1) Les passages imprimés en italiques sont soulignés dans le manuscrit.